



THEODORI GRAMI-
NAEI IN ESAIAM ET PROPHE-

TIAM SEX DIERVM GENE-

seos, Oratio :

QVA OMNIVM PROPHE-
TARVM ET LEGIS AR-
gumenta summatim comprehenduntur, & ratio Antichristi eiusq;
præcursoris Lutheri evidentissimè de-
claratur.

Apocalyp. 16.

Et vidi de ore draconis, & de ore bestię, & de ore pseudoprophe-
tę exire spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim
spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad reges
totius terrę congregare illos in prælium
omnipotentis Dei.

COLONIAE

Anno M. D. LXXI.

REVERENDO IN CHRIS-
TO PATRI DOMINO HENRICO A
MVLHEM, ABBATI S. PANTALEONIS

Coloniæ, Domino suo perpetua ob-
seruantia colendo

S. P. D.



Euerende atq; religiosissime D. Ab-
bas, dum tui propositi atq; studij,
quo antiquum cœnobiorum sta-
tum in tuum cœnobium celeberrim-
um introducere contendis, recor-
dor, atq; affectus tui ardentissimi
votum, quo fructum atq; emolu-
mentum operis inchoati expectas, mecum cōsidero,
in eo omnes meas cogitationes atq; actiones dirigo,
vt expectationi tuæ reuerentiæ, quantum mea fert in-
dustria, atq; fratrum tuorum commoditati, pro talen-
to mihi dato, ac ingenij mei modulo, in seruiam. Re-
uerentia enim tua nouit quòd huic muneri vt in
tuo cœnobio doceam me non ingesserim, sed potiùs
ad Reuerentiæ tuæ instantiam & postulationem, cui
quicquam denegare in tam pio ac frugifero proposi-
to cùm turpe iudicarem, munus illud humeris meis
haud grauatim imposui. Neq; dubito quin tam pijs
votis successus respondeat, quandoquidem cùm le-
ctionem Esaiaë inchoauissem, in eo magnam felicita-
tem & prosperitatem huius tam sancti propositi de-
prehenderim, quòd summa cupiditate sacrarum lite-

THEODORIGRAMI- NAEI IN ESAIAM ET PROPHE-

TIAM SEX DIERVM GENE-

feos, Oratio:

Qua omnium Prophetarum & legis argumenta
summatim comprehenduntur, & ratio
Antichristi eiusq; præcursoris Lu-
theri evidentissimè de-
claratur.



Ieronymus vir summa atq; admirabili inte-
gritate, in exponendis sacrarum Scripturarum
locis incredibili & penè diuino iudicio, ac in
vertendis libris sacris singulari quadam & in
audita diligentia præditus, admonet eos, qui
in sanctis studijs versari cupiunt, vt timorem
Dei Optimi Maximi in primis sibi propo-
nant. In cuius sententiam pedibus iuit Augu-
stinus Hipponensis episcopus, acri iudicio vir,
& arguto quodam dicendi acumine nemini secundus. Sentit idem &
Ambrosius, pari morum synceritate atq; eruditione. Præterea tot Chri-
stianorum sententiæ, ex sanctis voluminibus excerptæ idem volunt. Ini-
tium sapientiæ timor Domini. Timete deum, & date illi honorem. Quæ
sententiæ vim quandam, & illam quidem admirabilem afferunt, euoluen-
dis diuinorum mysteriorum codicibus, cum ex illis abundè satis quo
pacto deus colendus ac honorandus sit, perdiscamus: siue synagogam
seu tempus legis, siue tempus gratiæ consideres, quo æterni patris æter-
nus filius nos à peccato, dæmonis retinaculis, & oneribus legis liberauit.
Hinc est vt Iob diceret, Timorem Domini sapientiam esse, recedere à
malo intelligentiam. Tanta est huius timoris securitas, tam ampla, tamq;
insignis nobilitas, vt eam vix cuiusquam mens aut cogitatio capere pos-
sit. Confirmat hæc Salomon varijs in locis. Quæso quid illustrius, quàm
abdita diuinorum verborum hoc timore vel maximè assequi? Quid ob
secro tam propinquum diuinitati? quid per Deum immortalem tantæ
potentiæ, cum hominem effrenem elato quidem animo atque superbo
imbecil-